

02 H 510

876 H 20

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
METHODI ROBORANTIS  
USU ET ABUSU,

---

QUAM  
CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

V I R O

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,

PHILIPPO FRIDERICO  
MECKEL,

MEDIC. DOCT., REG. BORUSS. A CONSIL.  
SANCTIOR., ANAT. ET CHIRURG. PROF.  
PUEL. ORD., ETC.

U T  
GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIMO MODO CAPESSAT


DIE III. OCTOBR. CICCCXCVI.

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

IO. FRID. JÜNGKEN,

MAGDEBURGICUS.



HALAE,  
T Y P I S B A T H E A N I S.



V I R O  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO  
IOANNI PHILIPPO MÜLLER,  
DUCI SAXON. A CONSIL. RER. METALL., MED.  
DOCTORI EXPERIENTISSIMO,

N E C N O N

V I R O  
CLARISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNI CAROLO FRIDERICO  
M E Y E R,  
PHARMACOPOLAE AULICO, ASSESSORI COLLEGII  
MEDICI PROVINCIAL. SEDIN., ACADEM. ET  
SOCIETAT. VARIAR. PHYSIC. SODALI,

FAUTORIBUS CULTU ET OBSERVANTIA  
PROSEQUENDIS,  
GRATA MENTE HUNC LIBELLUM  
OFFERT

A U C T O R.



D E

# METHODI ROBORANTIS USU ET ABUSU.

## I. INFORMATIO METHODI.

I.

Roborans methodus ea est, cuius ope debitam  
aequamque, quae ad functiones exercendas requi-  
ritur, virium corporis animalis rationem amissam  
atque pessumdatam restituere atque conservare stu-  
demus. Roborantia itaque dicuntur ea remedia,  
quae vires corporis animalis vere adaugent, ut  
functionibus suis praeesse rite possint.

2.

Hanc quidem methodum saepenumero summe  
necessariam esse, patet ex informatione naturae mor-  
borum,

borum, quam observatione edocti concepimus. Videmus enim, quoties aegritudinem vel maxime vulgarem contemplamur, morbi atrocia sive diuturnitate infrangi vires atque pessum dari, adeoque tantum non semper pessimum morbi exitum imminere, nisi vires corporis iterum restituantur, nisi que vel ipsae, victu congruo fotae, augeantur.

## 3.

Quodsi, cum ea morborum ratio est, aliis tantum inhaerere methodis voluerimus; quodsi e. g. humores tantum in meliorem redigere statum aut evacuare, aut vires incitare, aut fibram simplicem coarctare atque adstringere studuerimus, irritum sane erit nostrum conamen, neque refugium erit ad roborantia evitandum. Quid, quod, si in ipsis morbis, qui ab humorum depravatione ipsa originem ducunt, aut qui a sola stasi vel spasticis fibrae vivae affectibus oriuntur, aliam sequi methodum cupiveris, insistere tamen eidem diutius, absque aegri damno nequibis, cum aliae fere omnes methodi vires pedetentim exhaustant, dum protrahuntur, ut vel adiungi ipsis roborantia debeant, vel methodum roborantem iis succedere oporteat. Id quod praeprimis de methodo evacuante et resolvente valet, quae cum in febribus gastricis et intermittentibus adhibentur, diutius protractae, nil novum est, vires aegroti his remediis, licet necessario requiri

requiri viderentur, adeo infirmari, ut morbi inde vel in diuturnitatem porriganter, vel in alios, et peioris quidem indolis, morbos transeant.

## 4.

Roborantia remedia a variis medicis, iis praesertim, qui scholis praeteriti saeculi, Sylvianis et Iatrochemicis addicti erant, nimis neglecta, ab aliis nuperim maxime Anglicae scholae asseculis, in quo cunque fere statu morboso suadentur. Quemadmodum enim ETTMÜLLERI, DOLAEI aliqui Iatrochemici praeteriti saeculi in febribus inflammatoriis nil nisi resolvare obstructions, in febribus malignis solummodo acidum silvestre Gas, quod humores invasisse credebant, additis alcalinis salibus neutrum reddere studuerunt, ita et nuperimi Angli nulla impedimenta curationis roborantis agnoscunt, totumque medelae caput in eo versari videtur, ut vires vel suscitentur vel nimis excidentes moderentur atque deprimantur. Utrinque autem receditur a veritate, quae medio omnino tramite subsistit, sicut mox uberioris patebit.

## 5.

Nostrum itaque erit, inquirere,  
quomodo roborantia remedia agant?  
quando requirantur?  
quae vero res iis repugnant?

qualia

qualia sint remedia, quae huic fini, ut corpus amissum suum robur adipiscatur, respondent?

ut regulae certae fixaeque inde eruantur, quibus medicus artifex utitur ad morbos sanandos.

## II. M O D U S A G E N D I.

### 6.

Primo itaque discriben est stabiliendum inter roborantia, quae indirecte, ut ita dicam, agunt, et quae directe corpus firmant. Impedimenta enim saepissime occurunt, quae obstant, quominus vires corporis animalis officiis suis rite fungi possint. Id quod praeprimis in plethora, sordibus gastricis aliisque morbis, quorum caussae occasionales in humoribus depravatis quaeruntur, valet. Quantopere enim debilitantur et infirmantur vires a sordibus, plethora acrimoniusque suppressae! Lipothymiae saepius, pulsus minimus, intermittens, prostratio virium motibus voluntariis inservientium inde producuntur. Omnibus autem ejusmodi affectibus opem ferunt ea remedia, quae caussis repugnant vires supprimuntibus. Hinc profundunt evacuantia, phlebotomia et remedia resolventia saepe numero, tanquam roborantia, ubi nimirum affectus debilitatis ex humorum corruptorum massa aut sanguinis abundantia pendent. De his autem sermo hic quidem esse nequit.

## 7.

Quae directe robur corporis augent et conservant, nec in humorum mixtionem nec in solidam fibrae cohaesionem sed in vim ipsam vitalem agunt, quae nec ab humorum qualitate nec a fibrae ipsis cohaesione unice pendet, licet cum certa quadam humorum indole et partium solidarum cohaesione certa etiam quaedam virium ratio iuncta esse soleat.

## 8.

Vis vitalis enim, seu concentus irritabilitatis et sensilitatis assumitur a nobis, tanquam causa effectuum in corpore vivo animali obviorum, tum motuum vitalium, naturalium et voluntariorum, tum etiam sensuum et internorum et externorum, Quae vis vitalis nec ab animi dominio solius, nec a fibrae solidae cohaerentia sola pendet, sed sui generis est et peculiaris, nec cum viribus mortuae naturae comparanda. Quae augent itaque eamdem, peculiari quadam, nec explicatu facil modo agere videntur; quum nec ab amaris nec ab aliis remediis roborante vi pollutibus immediatam fibrae solidae mutationem aut humorum exspectare possimus.

## 9.

Quodsi enim intrarent remedia nostra fibra-  
rum solidarum mixtionem aut humorum massam,  
multo

multo plus ingerere oporteret eorumdem, quam vulgo necessarium est; cum parcissima saepius dosis coticis, quassiae, martialium, sufficiat, ut effectus inde producatur et robur corpori restituatur.

Deinde etiam videmus roborantia alii parti applicata in aliam et remotissimam quidem partem agere, quae quidem actio in distans nec physico, nec chemico modo, sed animali solo, id est per consensum, explicari potest. Hinc igitur impressione, quam in fibras sensibus praeditas producunt, haec remedia agere videntur, qua impressione ope nervorum ad remotissima loca propagata, sequitur quoque effectus in remotioribus locis.

Quodsi porro in humores agerent remedia, quae speciatim roborantia dicuntur, effectus ipsorum non tam varii forent, quippe cum mixtionem humorum semper eodem modo mutare deberent. Cum vero partium solidarum constitutio atque moles ubique fere alia sit, cum ratio virium semper vel augeatur, vel diminuatur; varius inde etiam effectus roborantium sequitur.

## 10.

Longe diversam esse actionem roborantium ab efficacia et adstringentium et irritantium, cuivis patet, qui effectus hujusmodi remediorum attente consideraverit. Cohesionem partium solidarum omnino adaugent ea remedia, quae adstringentium nomine

nomine insignimus, neque tamen semper robur fibris addunt: sicut etiam roborantia non raro haudquaquam adstringentem vim exercent, sed sola facultate pollut, certam quandam fibris solidis impressionem impertiendi, quae in amaris praesertim praedominatur.

Quod ad irritantia spectat, haec quidem activitatem virium accelerant, ut et magis repetita et vegetior fiat eorum actio, sed vim ipsam simul consumunt et exhausti, quo facto ipsa demum languidius agit et magnopere infirmatur. Haec vero sequela roborantia haudquaquam manet, quae viribus conservandis inserviunt. Longe diversa est actio et efficacia serpentariae ab actione corticis peruviani: diversa vesicatoriorum ac quassiae: diversa spirituorum et extractorum amarorum. Hujus autem differentiae causae et rationes neque ex partibus medicamenta constituentibus, neque ex actione medicamentorum in certas quasdam particulas chemicas fibrae solidae derivare possumus, cum et chemica analysis organorum corporis humani et scrutinium chemicum partium medicamenta constituentium similia plane primordia, ut ita dicam, et principia ostendant. Hinc et chemia et physica longe alienae sunt ab ipsa medicina, neque redundabit ex his scientiis immediatus in theoriā morborum et medicamentorum fructus.

## II.

Infausta adhuc adest memoria futilium illorum et vanorum conaminum, quibus innotuerunt chemici saeculi praeterlapsi, qui corpus animale tanquam chemicum organum contemplantes chemicas etiam, neque ultra eas, alias leges in eo agnoverunt. Miseram sortem aegrotorum, qui illorum manibus confisi, morti tradebantur potius quam vitae et saluti reddebantur! In ipsis enim malignis morbis nil praeter phlogisticos sic dictos processus viderunt medici, nil praeter ea exhibuerunt remedia, quae fermentationi precariae obesse et acorem aut putredinem arcere dicebantur. Hoc autem possimum nomine laus summa et encomia SYDENHAMO immortalis tribuenda, quippe qui, HIPPOCRATIS divi ad instar, medicam artem ea ratione a philosophia, physica et chemia separavit, ut superfluas, imo nocivas esse ejusmodi inquisitiones monstraret, quae et indolem medicamentorum et constitutionem corporis physico modo explanare studerent, experientiaque sola nos contentos esse debere probarent, quae, qualem effectum habeant medicamenta, doceat: longe alia insuper medici attentionem attrahere, quae ad efficaciam caussarum occasionalium et ad symptomatum essentialium rationem pertineant: quae si quis rite indagare voluerit, multo insigniuseum de arte medica meritum, quam si quis futilibus illis theoriis insudaverit.

## 12.

Regerunt autem, qui tuentur chemicae explicationis partem, damna illa, quae ex chemia saeculi praeterlapsi manaverint in artem salutarem, neganda quidem non esse, neque tamen inde nostrorum temporum arti chemicae aliquid detrahi debere, quippe quae longe perfectior illa, omnibusque fere numeris absoluta esse videatur: ex hac itaque exspectare nos posse eam totius theoriae chemicae emendationem, quae ad sublime certitudinis physicae fastigium evahere debeat artem medicam. Bona fides verba! Quaevis enim aetas, quodvis fere saeculum hanc sibi gloriam vendicare studuit, ut viam, qua scientiae et disciplinae colebantur, longe optimam esse praefaretur, altisque quasi superciliis sperneret conatus majorum. Historia medica docet, nos melius acturos et iudicaturos esse, si, rite aestimatis majorum conatibus, nec nostro aevi nimis gloriemur, nec eum scientiae nos attigisse gradum speremus, ultra quem adscendi haud-quaquam liceat. Deinde vero, si quidem concedimus, nuperos conatus chemicorum multo utiliores esse ad explicandas corporis humani functiones et actiones remediorum, nemo tamen adhuc existit, nec LAVOISERIO ipso excepto, qui certo certius vel unicam corporis functionem chemico modo fieri evicerit, quive, quo demum modo illa exercentur, docuerit. Opponunt omnino nobis respiratio-

rationem et transpirationem cutaneam, quae egrae explicatum iri ajunt, si ad chemicas mutationes et ad phlogisticos sic dictos processus respexerimus. Egregie quidem! Multum tamen interest, functionesne ipsas ex hoc fonte declaremus et vim, qua exerceantur, an effectum potius vis vitalis in his partibus residentis, quae mutationum earum causa unica sit, statuerimus.

Ut autem e diverticulo in viam redeamus, nullo modo dubitamus ex chemia aliquid boni ad theoriam actionis medicamentorum redundaturum; neque tamen huic soli confidimus, cum sola caussa mutationum in vi, super omnem physicam et chemicam indagationem erecta, quaerenda esse videatur. Ipsi omnino respiciemus ad partes proprias medicamenta constituentes et ad rationes proportionesque earum, neque tamen exinde solam speramus caussam efficacie explicaturos nos esse.

## III. INDICATIONES.

Robur corporis animalis augendum, dum id exhaustum est et infirmatum: maxime vero cum vera debilitas adest, quae vel stimulorum suetorum absentiam vel praegressam nimis fortem eorum actionem.

actionem supponit. Oritur illa ex haemorrhagiis, aut evacuationibus aliis nimiis, ex diarrhoea et sudoribus colliquativis: oritur ex epidemica quadam occulta efficacia, quae malignitatem producere potest; oritur ex nimia morbi acuti vehementia et diuturnitate: ut et in chronicis morbis ex depravato digestionis officio et deficiente nutritione.

## 15.

Quodsi itaque veram aegri debilitatem, quae roborantia requirat remedia, dignoscere cupiveris, primum caveat medicus, ne querelis aegroti nimium fidat, quippe quae, pro aegri educatione, consuetudine et constitutione, variae sunt, neque, cum eadem adest virium ratio, eodem modo exprimuntur. Homo enim tenerrimae corporis compagis, qui moliore gavisus est educatione et diaeta debilitante, si vel minima adest defatigatio aut ciborum suetorum penuria, summam queretur debilitatem et virium exhaustionem: cum alias, qui robusto gaudet corpore, et laboribus indefessis rigiditatem fibrarum acquisivit, iisdem admissis causis, multo minorem sentiet debilitatem. Valet hoc praeprimis de doloribus in morbis occurribus, qui defatigationem potius gignunt quam veram virium exhaustionem. Tenerrimae homines indolis, qui doloribus cruciantibus paullo diutius laborarunt, eam se sentire debilitatem confitebuntur,  
quae

quae roborantibus reparari debere videbitur: cum tamen melius vires instaurentur, si vel caussae doloris excitantes debellantur, vel dolores ipsi sedantibus oppugnantur. In his itaque casibus morbo potius medeatur medicus, quam viribus ipsis.

## 16.

Deinde ubique consideranda venit varia vi-  
rium ratio pro vario morbo. Debilitas alia adest  
in morbis chronicis, alia in febrilibus. Namque  
homines, febre maligna detenti, primis fere morbi  
diebus, ne erigere quidem corpus p[re]a debilitate  
possunt, neque postea vel linguam porrigeret, nisi  
tremat. In phthisi vero et variis aliis cachexiis de-  
bilitas summa adest, si aegri vel ambulare vel spon-  
te e lecto surgere possunt: cum in hoc morbo non  
tam voluntarii motus quam nutritio et functiones  
ceterae naturales deficiant.

Accedit, in morbis, qui humorum copia nimia  
vel insigni depravatione oriuntur, eam sentiri sae-  
penumero debilitatem, quae vera esse videatur,  
cum tamen spuria sit et a suppressione virium po-  
tius, quam ab exhaustione derivari debeat. Ex-  
emplio sint morbi inflammatorii et gastrici, quo-  
rum initium summa nonnunquam jungitur virium  
suppressione, ubi vero ea solummodo requiruntur  
remedia, quae vel orgasmum nimium temperare  
vel sanguinis massam minuere, vel sordes evacuare  
pos-

possunt. Hinc itaque morborum indoli potius quam viribus ipsis medendum.

## 17.

Deinde ad caussas praegressas et ad decursum morbi consilia sunt transferenda, quum ex caussis, quae vires exhaustiunt, ut et ex iis, quae vires superprimere potius valent, discrimen oppressionis et exhaustionis virium luculenter derivari possit. Quodsi morbus ex evacuationibus nimiis, ex vigiliis et aliis caussis exhaustientibus originem duxerit, debilitas vera est adsumenda; aut, si morbi decursus vires jam magis fregerit, neque status cruditatis et coctionis adhuc fuerit exspectandus. In his enim morbi periodis oppressio potius quam exhaustio spuria potius debilitas quam vera est exspectanda.

## 18.

Ad symptomata ipsa demum respiciens, ex pulsu, oculorum aspectu et voce praeprimis, deinde etiam ex habitu, ceterisque functionum vere debilitatarum signis veram adesse debilitatem, divinaveris. Pulsus enim maxime debilis, parvus, mollis et creberrimus, aut intermittens: oculorum aspectus languidus, fractus, pulverulentus: vox rauca, debilis, clangosa vel penitus amissa: deinde summa macies et siccitas aut rugosa cutis qualitas, aut sudores demum viscidii, colliquativi, circa caput aut collum obvii: sensuum turbatio summa

B

et

et delirium mite, aut stupor totius corporis cum frigore et rigore iunctus: lingua arida aut sordibus fuscis obducta; urina turbida, brunea: convulsiones vel universales vel potius topicae, in digitorum flexoribus obviae, ut floccos legere aut muscas videatur; haec symptomata, in morbis praesertim acutis, vere debilitas esse vires, probant.

Debilitas haec cum fibrae solidae saepius laxitate aut justo minori cohaesione iuncta est; non nunquam tamen tensione summa et insigni irritabilitate et sensilitate. Etenim virium exercitium potest, quod vocant, extensive insigniter augeri, absque roboris ipsius augmento: quid, quod summa et maxime irregularis virium activitas debilitatis ipsius fere pedissequa esse soleat: quod ex convolutionibus et deliriis moribundorum hominum luculententer patet. Hinc etiam tum in laxa fibrarum compage, tum in teneritate earum et spasticis motibus roborantia indicantur, quoties a vera debilitate hae passiones nutriuntur et sustinentur. Exemplo sint morbi convulsivi, vel maxime febriles, quae sedantibus remediis pertinaciter repugnant, nisi robur fibris corporis iterum reddatur, methodusque roborans simul adhibetur. Ita etiam in morbis nervosis chronicis agendum, ubi spasmi pernicaces, qui conatus omnes medicorum eludent, silent nonnunquam, adhibitis demum roborantibus,

## 20.

Indicantur praeprimis roborantia, cum defec-  
tus nutritionis cum debilitate adeat: maxime vero  
ea remedia hujus generis, quae nutritionem pro-  
movere solent, seu nutrientia speciatim sic dicta.  
Valet enim **HIPPOCRATICUS** canon (Aph. II. 22.):  
morbos, qui ex evacuationibus nimiis orti sint, re-  
pletionibus curandos esse. Nutrimenta ipsa autem,  
qua ratione sint exhibenda, et quomodo cum ro-  
borantibus jungenda, postmodum videamus.

## 21.

Ut autem speciatim in status diversos morbo-  
fos inquiramus, in quibus roborans methodus in-  
dicatur, ad morbos febres primum respiciendum  
esse videtur.

**A.** *Febres intermitentes*, dum simplices  
sunt, neque complicatae cum morbis a stasisibus aut  
fordibus pendentibus, nil indicant, nisi tonica re-  
media, ea praesertim quae stomacho vigorem pes-  
sumdatum reddere valent, quo maxime pertinet  
cortex peruvianus: qui etiam in iis requiritur cas-  
ibus, ubi fordes gastricae vel stases refractariae se-  
quuntur longiorem febris intermitentis moram,  
imo nil praeter tonica prodest in morbis febrium  
intermittentium pedissequis, qui vel stases vel ato-  
niam viscerum abdominalium supponunt. Neque  
hic iuvant medicamenta aperientia, neque un-

guenta vel emplastra, neque, ut quidam proposuerunt, confert febrem in longum trahere, aut eam, cum secessit, revocare et interea medicamenta propinare resolventia, scilicet ut ea per sedem ipsam penitus inter universos corporis laesi humores mittantur, siveque majorem acquirant efficaciam, quae possint tumores fundere et obstructions sic dictas referare. Quo enim febris diutius infidet, eo magis tumor crescit: quare a vero longissime absunt, qui putant, quasi iste quidem lienis tumor ortus fuerit a cortice peruviano. Cum vero debilitas ipsa, longae febris morae succedens, vera sit causa sequelarum febris intermittentis, a solis etiam robofantibus et tonicis sanitatis restituendae spes concipienda.

## 22.

b. In febribus cuiusvis generis anniversariis aut stationariis, quae nervosae aut typhi dicuntur, requiritur methodus tonica, licet larvas longe diversas induant, atque mox gastricae esse indolis, jam inflammatoriae, modo rheumaticae, videantur. Ad genium enim epidemicae constitutionis ubivis consilium transferendum, neque solis inhaerendum symptomatibus. Excrucians saepius dolor, qui mere inflammatorius esse videtur, manifesta sordium gastricarum signa, cum pendent a constitutione nervosa, aut dum atoniam systematis totius supponunt, nil requirunt praeter tonico-  
rum

rum usum. Ita in angina gangraenosa, pneumonia maligna et venae sectiones et regimen totum antiphlogisticum fere nunquam conveniunt; multo plus salutis sperandum a vini meracioris, corticis peruviani, aliorumque tonicorum usu. Ita etiam in febris gastricis agendum, dum vel intercurrunt epidemiam nervosam, vel dum sordes comitantur febres languidas, malignas, quae exhaustas esse vires supponunt.

Pari fere ratione chronicæ quaedam inflammations, vel potius congestiones passivæ, quae a solo languore virium et debilitate vasorum systemate pendent, nullo modo requirunt antiphlogisticum, sed roborans potius vel tonicum regimen. Hinc etiam vel adstringentia saepenumero externe applicita mirifice profundit, ubicunque inflammatio a laxitate sola et debilitate vasorum producitur.

## 23.

Hinc etiam morbi exanthematici febries requirunt methodum roborantem et tonicam, quoties sub imperio morborum nervosorum aut malignorum sunt: quanquam per se quidem antiphlogisticum regimen indicent. Cum autem ob virium languorem, cum pulsu tardo, debili, intermittente, pallore totius superficie, oculorum aspectu languido, soporibus continuis, aut sensuum torpore, eruptio exanthematum, variolarum  
vel

vel morbillorum, impeditur: cum exanthemata ipsa colorem adipiscuntur pallidum aut luridum, neque satis in cute prominent, cum interstitia non rubent, sed pallent et laxa sunt; ad tonicorum usum, ad corticem et vinum, est omnino refugendum, quae mirum quantum ad bonam eruptio-  
nem et suppurationem conferunt.

Ex iisdem etiam argumentis proclivitas humo-  
rum ad putredinem, quae in morbis acutis occur-  
rit, saepenumero roborantem indicat et tonicam  
methodum, quum debilitas solidarum partium, et  
atonia nutrit hanc proclivitatem et servat. Duplex  
enim status solidorum in morbis acutis putridis  
longe diversam, imo saepius contrariam jubet me-  
thodum adhiberi. Viribus nimirum nimis excita-  
tis, pulsui concitato, duro, febrili, spasmis mus-  
culorum crebrioribus, urinae vel aquosae vel flam-  
meae, doloribus variis in internis partibus saevien-  
tibus, agrypniae continuae aut deliriis ferocibus  
opponimus methodum sedantem, antispasticam,  
exhibitis valeriana, acidis dulcificatis, moscho, ipso-  
que opio.

Cum vero vires labefactatae ex pulsu langu-  
do, parvo, molli et intermittente, ex adiaphoria  
mentis et soporibus continua, ex pallore et frigore  
cutis, ex oculorum adspectu languido, pulverulen-

to

to, ex voce tremula, clangosa vel penitus amissa, ex sudoribus et alvi fluxibus colliquativis cognoscuntur, ad tonica et roborantia iterum refugendum: imo stimulantium ipsorum et irritantium usus quammaxime valet. Hinc praeter corticem, vinum, arnica ipsa, vesicatoria aliqua stimulanta preeprimis exhibenda, quae tantum absunt a promovenda humorum resolutione, ut potius stimulo solidis vivis addito, vitales vires iterum suscitent et rationem earum restituant.

## 25.

e. In morbis arthriticis et rheumaticis usus roborantium et tonicorum tum demum valet, cum ob virium languorem congestiones ad articulos salubres haudquaquam fieri possunt, ubi itaque viscera abdominalia vario modo patiuntur, quod ab arthritide atonica vulgo derivatur. Flatus enim continui, tumores abdominis laxi, obstructio intestinalium vel diarrhoeae debilitantes, dyspepsia et nausea saepius recurrens signant hunc statum atonicum, qui stomachicis tantum vel roborantibus fugari potest. Haec vero remedia in ipsis insultibus exhibita, aut dum naturae vires satis vegetae moliuntur congestiones versus articulos, noxia saepenumero sunt, cum turbent naturae vires et alienam ipsis impellant directionem.

Balnea martialia granulata commendat in casibus indicatis LENTINUS (Beytr. zur ausübend.

A.

A. W. S. 94.) corticem peruvianum et balnea frigida  
CHALMERSIUS (Ueber die Witter. und Krankh. in  
Südkarolina, Th. II. S. 74.) DOUTERUS ET PIET-  
SCHIUS.

d. In fluxibus quibusvis sanguinis vel  
aliorum humorum, qui debilitate solidarum  
partium nutriuntur. Hae haemorrhagiae enim e.g.  
uteri, in feminis obviae, quae diurno jam fluore  
albo laboraverunt, aut quae atonicam patiuntur  
arthritidem, cortice peruviano, aromatibus et  
aliis roborantibus optime saepius sanantur. Ca-  
vendum tamen, ne nimis irritent et calefacient ro-  
borantia, quod aromata nonnulla maxime efficere  
solent. Ita quoque in dysenteria, postquam irrita-  
tio et dolores sopitae fuerunt, angusturae corticem  
commendant BRANDIUS et EWERUS (Samml. für  
prakt. Aerzte, B. XIII. S. 323. 331.) Alii autem  
balnea frigida et corticem peruvianum, radicem  
colombo, simarubam etc.

e. Morbi nervosi chronicci, in quibus vel  
spasmi vel nimia irritabilitas fibrarum solidarum  
a teneritate earum et atonia nutriuntur, ubique  
nullae adsunt states humorum vel alia acrimoniae  
signa, requirunt omnino roborantium usum et  
praesertim nutrientem diaetam. Usus corticis peru-  
viani in epilepsia (SUCHHAYE in act. societ. med.

Hafn.

Hæfñ. vol. I. p. 218.) fellis tauri (QUARIN animadv. in divers. morb. chron. p. 24.) glandium quernarum (MARX bestätigte Kräfte der Eicheln p. 25.) in eodem morbo: usus roborantium in morbo hysterico, qui saepius solventia omnia et incidentia respuit, neque curari potest, nisi nutritio corporis moveatur et viscera abdominalia confirmentur, probant, quantopere præsint plerumque tonica in morbis nervosis.

## 28.

f. Cachexiae fere omnes cum debilitatem nutritionem supponant, egregie adlevantur saltem, ni penitus tollantur roborantibus et tonicis remediis.

Phthisicos jussit jam **HIPPOCRATICUS** auctor (de morb. lib. II. f. 49.) uti lauta diaeta, vinoſo potu et roborantibus. In eodem morbo laudavit **SYDENHAMUS** motus corporis, praesertim equitationem (diss. epistol. ad Colium, p. 274.) **SALVADORIUS** demum labores militares. Quin existant exempla clarissima curatae phthiseos, ope peregrinationum in regionibus salubribus, meridionalibus institutarum, ope navigationum et equitationis quotidiana, sensim auctae.

In scorbuto prosunt præ aliis remediis ea, quae tonum stomachi confirmant et nutritionem augent.



augent. Hinc acida analeptica, vinum, amara, cortex, mirisicum saepius usum praestant; maxime vero aér purus, qui solus saepius tollit cachexiam alioquin periculosam, imo letalem.

Scrofulosus morbus roborantia praeferit requirit, dum laxitas systematis absorbentis et glandularum conglobatarum stases nutrit et servat; quod ex habitu pallido, laxo, ex sudoribus colliquativis, ex signis sordium pituitosarum in primis efficeris. Cortex ipse peruvianus, radix rubiae tinctorum, glandes queruae, ferrum ipsum, vel muriatum vel tartarisatum egregie agunt ad scrofulosos tumores tollendos et confirmandum tonum viscerum abdominalium, ut et totum curationis cardinem saepius in iis versari statuendum esse arbitrer.

Prosunt quoque roborantia plerumque in curatione luis venereae, quippe cum mercurialia proprie contra hanc cachexiam militantia adeo non nunquam vires frangere soleant et morbum novum mercuriale producere, ut necessarium sit ad ea confugere remedia, quae solidas partes iterum firmare valent, adhibita simul ea diaeta, quae praefertim nutriendo et firmando constitutionem corporis juvat. Eodem plane modo de curatione rachitidis catholica aut cardinali iudicandum, quae plerumque nihil prodest, nisi roborantia simul in auxilium vocentur.

Pro-

Prosunt denique iu statu verminoso, cum atoniam viscerum abdominalium et colluviem pituitosam cum eadem conjunctam tollant, eoque modo destruant sedem vermium.

#### IV. CONTRAINDICATIONES.

29.

Roborantia proprie sic dicta non juvant, imo nocent in eo debilitatis statu, qui ab humorum qualitate manifesto depravata pendet, aut qui ab orgasmo humorum et plethora oritur. Hic enim requirit potius ea remedia, quae vel evacuare vel humores in meliorem statum redigere possunt. Nocent itaque roborantia in omni statu gastrico, aut ubi fordes manifestae vel biliosae vel pituitosae a caussis externis ortae debilitatem spuriam producunt. Summa omnino cautione agendum, dum febres biliosae saepius, pro epidemico morborum genio, larvam febrium nervosarum adsimilant, atque eam producunt totius systematis atoniam, quae idiopathicae speciem prae se fert. Sordibus praesertim incarceratis latet medicum omnino vera status hujus indoles, dubiusque haerebit, sitne bilis turgor, an atonia systematis gastrici vera caussa, nisi consilium ad epidemiae praedominantis naturam transtulerit, ubi demum filum reperiet Ariadneum, quo uti possit, ut exitum ex labyrintho hac periculosa inventiat.

30.

Pari omnino ratione iudicandum de morbis inflammatoriis, qui, licet veri nonnunquam sint, eam tamen producunt in hoc casu saepius debilitatem, quae verae speciem prae se fert, cum tamen a roborantibus adhuc augeatur, solisque cedat evacuantibus et venae sectionibus. Cavendum itaque omnino a roborantibus proprie sic dictis in congestionibus, quas sanguis excitat, activis, in orgasmo quovis et plethorico statu. Hinc accidit, quod arthriticis praesertim infestus sit roborantium abusus, dum paroxysmi arthritici vel instant, vel dum spes est, fore, ut naturae viribus ipsis arthritis dometur.

Sequitur inde etiam, roborantia noxia esse debere, ubicunque solidae partes justo nimis tensae sunt ac teneritate laborant: praesertim dum haec irritationem systematis sanguiferi supponit, quae magnopere augeri debet ab usu roborantium. Quandoquidem saepius spasmi silent, applicatis roborantibus, si vera debilitas spasmos nutrit, augmentur tamen et hi, dum stimulis materialibus lacesuntur partes solidae, teneritate laborantes. Hinc noxios saepius effectus videmus sequi usum roborantium in arthrite et morbis ipsis hystericis, dum stases verae atrabilariae adsunt. Hinc etiam in quibusvis febribus, dum paroxysmi aut accessiones fe-

febriles adsunt, noxios deprehendimus roborantium et stomachicorum effectus.

## 32.

Nocent roborantia in profluviis cuiusvis generis, quae alienatam virum activitatem supponunt, aut ab irritamentis topicis sustinentur, cum calefacere soleant et systema sanguiferum irritare, quo facto haemorrhagiae perniciose nonnunquam sequentur. Hinc in haemorrhoidario morbo caute agendum, dum roborantia calida, aromata, balsama exhibere cupimus: cum tantum absit, ut bonum producant haec remedia effectum, ut potius nimium haemorrhoidum fluxum aut succedaneos excitent sanguinis fluxus.

## 33.

Nocent roborantia et praesertim nutrientia, quae vegetam requirunt digestionem, ubicunque digestionis officium turbatum est, et fordes vel adsunt vel laxitas adest ventriculi, quae impedit, quominus rite digerantur et in bonum succum nutrimenti mutentur. Nocent itaque carnes praesertim et farinosa, ubicunque haec laxitas adest et atonia in morbis vel acutis vel chronicis, praesertim in atrophia infantum, in febribus intermittentibus et hecticis.

## V. INDICATA.

## A. VICTUS RATIO.

34.

Robur fibrarum medicamentis solis aegre promovetur, quippe quae transitoriam tantum faciunt impressionem, neque mutare valent constitutionem earum ita, ut mutata permaneat. Hinc adiuvare tantum possunt actionem earum rerum, quae in victus ratione et diaeta ipsa versantur, quae mirum quantum, si continuo in iis adhibendis perrexeris, totam transmutare valent corporis compaginem. Usus fontium medicatorum martialis per se non tantopere juvat, quam si diaeta congrua, motus corporis et peregrinationes acceferint, quae sola saepius totam absolvunt curationem.

35.

Nutrimenta primum quod attinet, ea generatim eligenda sunt, quae facilitiori modo digeruntur, non quae abundantem chyli copiam generant: etiam in debilitate per victum curanda eo semper respiciendum est, ut digestiva vis eodem gradu invalefacat, quo magis nutriendis victus praecepitur.

Deinde notandum, quod nutrimenta singulatis corporum conditionibus accommodanda sint, cum

cum nimis hominibus tensa et tenera fibra-  
rum constitutione et orgasmo sanguinis gaudenti-  
bus convenient maxime refrigerantia, aquosa et  
pituitosa nutrimenta, quae vero nocent laxis, fri-  
gidis et phlegmaticis subjectis. Hoc potissimum  
nomine peccavit gallicus medicus, de quo Gran-  
tius narrat, carnem porcinam salitam sine discri-  
mine hominibus et tenerae et robustae constitutio-  
nis praecepisse.

## 36.

Nutrimenta ipsa eo magis nutriunt, quo ma-  
jorem continent copiam collae aut partis fibrosae  
sanguinis. Haec enim in animalibus nutrimentis ob-  
via, dum in sero attenuatur, materiem fistit albu-  
minosam, quae in omnibus vegetabilibus nutri-  
entibus adebet. Haec quidem materies albuminosa va-  
riis gradibus et modificationibus, tum cum sacchari-  
no principio, tum cum aromaticis, alcalinis acidis et  
amaris principiis nupta est. Maxime vero nutrit,  
dum saccharinam substantiam admistam continet,  
quae faciliori mixtionem cum aqua et proclivita-  
tem majorem ad fermentandum producit. Exstat  
in primis haec mistio in radicibus Scorzonerae hu-  
milis, Tragopogonis pratensis, Sii Sifari, Dauci  
Carotae, Pastinaceae sativae, Apii petrofelinii, in  
herbis Brassicarnm, in feminibus Zeae Mays etc.

## 37.

Gummi vegetabile, quae materies est albuminosa magis compacta et sincera, continet acidum oxalicum et ammoniacum; ope prioris partis constitutivae saccharinae substantiae similis evadit. Haudquaquam transit in fermentationem, sed acrimoniam quandam continet, ob admistum ammoniacum. In calore tamen putredinem concipit, induratur autem, si vera est colla, adhuc magis compacta quam gummi vegetabile. Haec quidem magis cum parte sanguinis fibrosa congruit, et sedimentum facit, amyolum, quod in frumentis praesertim, tum etiam in bulbis Orchidum, nomine Saleb, in medulla Cycae circinalis, nomine Sago, exstat. Ex his quidem rebus conficiuntur cibi, nutriente praesertim vi praediti, ita autem parandi, ut saccharina substantia cum iis misceatur et aromata addantur, quibus digestio adiuvetur.

Huc pertinet primum ptisana ex hordeo et avena parata, ab Hippocratis inde temporibus, tanquam levissimum nutrimentum commendata, cuius vel infusum ipsum propinatur vel sedimentum crassius, tanquam fortius nutrimentum exhibetur. Pertinet huc juscula ex pane triticeo, fecalino, ex oryza, hordeo excorticato, fagopyro et festucae fluitantis seminibus parata. Maxime vero puls ex farina fecalina nutritionem adjuvat in cachexiis, in phthisi et similibus morbis. Pertinet huc cerevisia bona

bona, quae satis fermentavit, ex hordeo parata,  
cui decoctum humuli lupuli additur. Pertinet  
huc decoctum ex tabulis chocolatae, ubi semina  
Theobromae Cacao nutrientem producunt effectum.  
Ipsi quoque bulbi Solani tuberosi egregium exhibent  
nutrimentum, ob collam quam continent,  
optimeque digeri possunt. Haec quidem nutri-  
menta, ultimo loco nominata in morbis acutis ex-  
hiberi nequeunt, sed tantummodo in morbis chro-  
nicis, ea praesertim cautione, ut obstructiones si-  
mul impediantur et digestionis vires sufficient ad  
extricandum ex eis bonum chylum.

## 38.

Nutrimenta ex regno animali desumpta eo  
magis nutriunt et digestu faciliora sunt, quo inti-  
mius fibris carneis est admista materies albumino-  
sa, quae a materie albuminosa vegetabilium differt  
tantummodo ea ratione, quod haec potius in aci-  
dam abeat fermentationem, illa in putredinem. Ir-  
ritant vero multo magis ventriculum et sanguinis  
systema ad vividores stimulant actiones, quam ve-  
getabilia: hinc abstinentiam ab iis in febrium ac-  
cessionibus et fibrae statu magis irritabili. Hinc  
etiam multo minori copia ingerendi sunt cibi  
animales quam vegetabiles.

## 39.

Palmam autem ceteris praeeripit lac et huma-  
num et asinimum et caprinum, quippe quod prae-  
ter materiem albuminosam saccharinae substantiae

C

bonam

bonam continet copiam, hinc blandissimum exhibet nutrimentum, quod optime confert hominibus diurna morbi mora aut evacuationibus nimis infirmatis. Cavendum tamen in lactis usu, ne spasmis sint obnoxii homines, neque hypochondriaci aut hystericae mulieres, quae ferre quidem lactis usum plerumque nequeunt. Nocet quoque tantum non semper hominibus cholericis, aut polycholia vel locali vel universal laborantibus: nocet haemorrhoidariis et iis, qui obstrukiones patiuntur. Quodsi autem ferre aegri id possunt, egregie valet usus lactis in arthritide atonica, in phthisi, et atrophia infantum, in statu convalescentium ex diuturnis aut gravioribus morbis.

## 40.

Praeter lac optimum constituant nutrimentum animale etiam ova recentia gallinarum, quae simul blande resolvunt, et praesertim in infarctibus biliosis et concrementis felleis egregium praestant usum. Deinde gelatinae animales ex carnibus bubulis aut animalium silvestrium paratae: pertinent huc tabulae ex gelatina bubula perfectae: gelatina cornu cervi, quae cum aromatisbus analepticum et nutrientem usum habet: deinde helix pomatia, mytilus edulis, cancer astacus, viperae, ranae, testudines et ipsae ostreae.

## 41.

## 41.

Carnes animalium silvestrium plerumque aegrotis diurno morbo laborantibus, aut praegresso graviori morbo debilitatis commendari possunt: cum faciles sint digestu et egregium praebeant nutrimentum. Ceteris preferendae sunt carnes avium silvestrium, e. g. Tetraonum tetricum, perdicum, bonasianum, francolinorum: Scolopacum gallinaginum, arquatarum, gallinularum, limosarum, rusticolarum: Alaudarum arvensium: Emberizarum hortulanarum: Motacillarum ficedularum: Turdorum viscivorum, pilarium: Phasianorum colchicorum etc. Quae aves motu continuo gaudentes carnem teneram, digestuque facilissimam habere solent.

Inter quadrupeda silvestria, quorum carnes scop nutrienti commendanda veniunt, lepus, cervus et cerva carnem habent egregie variis aegris, qui debilitate chronica laborant, commendandam. Ceterae autem carnes digestionem validiorem requirunt, quam quae in aegrotis debilioribus exspectari potest.

## 42.

Domestica animalia, quorum carnes nominandae hic veniunt, sunt praeprimis columba, vitulus, agnus, gallina et ipse gallopavo. Cetera vero aegrotis saltem non permittenda, licet quandoque carnes eorum salitae debilitate et relaxato stomacho multo magis conferant, quam alii cibi.

## C 2

## 43.

## 43.

Ultimo loco inter diaetetica remedia nominanda veniunt aromata, quae cibis admiscentur, praesertim dum ventriculus relaxatus et pituitosa colluvie redundat. Cortex lauri cinnamomi; flores cassiae; caryophylli aromatici; nunces moschatae; piper longum et jamaicense; zingiber; semina cumini aliaque indigena aromata egregium praestant usum ad tollendam eam laxitatem et pituitosam colluviem, quae comitatur cachexiam et morbos chronicos. Vitanda autem aromata in statu irritato fibrarum et spasmis viscerum abdominalium, ut et in orgasmo sanguinis a debilitate excitato.

## 44.

Non negligendus praeterea aër, cuius puritas et aqua mixtio vires vitae conservat et excitat. Commendandus praesertim aër purus in morbis cum laxitate fibrarum et colluviebus pituitosis; vitandus autem in morbis cum congestionibus sanguinis et irritato statu systematis vasorum. Hinc in phthisi id discrimen statuendum, quod, dum inflammatorius adest status pulmonum aut suppuratione vegeta, impurus potius aër, carbonicus aut azoticus, dum vero vera adest laxitas et atonia pulmonum, aër purus commendetur. Hinc accedit, quod aër stabularius in quibusdam morbis pulmonum egregie juvaverit, cum corruptus sit et mephitide abundet, ideoque adimat partibus solidis

dis pulmonum irritationem, qua laborant. Convictos enim nos profitemur, quemadmodum oxygenes principium stimulum praebet habitualem partibus solidis, quo applicato rite functiones exercere possint, ita etiam aërem impurum seu carbonicum sedare irritationem et stimulus adimere, quibus vires nimis excitantur.

## 45.

His, quibus robur constitutionis augendum est, maxime convenit exercitatio corporis et motus, praeprimis activus. A motu enim vegetior humorum circuitus, pulsus velocior et fortior, secretiones et excretiones auctiores, hilaritas animi insignior. Hinc expedit debilibus aegris, qui ferre motus activos possunt, exercitare plurimos musculos, ut magis proficiunt inde oriantur effectus. Migratione itaque, maxime matutina, sub divo, iis, qui eam ferre possunt, absque sudoribus debilitatis et pulsu nimis adacto, absque respiratione nimis accelerata, egregie prodest. Nonnunquam etiam tentarunt medici, in febribus ipsis, praesertim intermittentibus, praecipere migrationem per loca acclivia, quemadmodum de Asclepiade notum est, ut robur celerius corpori restituerent.

Inter motus passivos equitatio praesertim numeranda, quippe quae, moderando equo et conspectis vicissitudinibus amoenarum regionum, optimè saepius opitulatur ad tollendos morbos chronicos, eos maxime, qui nutritionem laedunt, aut qui

stasi-

stasisibus et atonia viscerum abdominalium iunguntur. Deinde etiam navigatio aut vectio ipsa in curru commendandae sunt aegrotis, qui prae debilitate ferre fortiorum motum activum nequeunt.

## 46.

Praeterea medicus, robori restituendo et conservando inserviens, animi viribus et actibus invigilet, caveatque, ne affectus tristes, debilitantes, metus, terror, ira diutius protracta et moeror aegrum adficiant. Operam det, ut aeger levioribus et jucundis rebus attentionem largiatur, ut continue occupatus amoenis rebus sit, ni hilaris et spe boni eventus repletus esse possit. Somni denique curam gerat, ut hic placidus sit neque in longam nimis moram protrahatur. Somnus enim sicut per se vires redintegrat et reficit, ita nimis protractus vires frangit, miroque modo prosternit.

## B. IPSA MEDICAMENTA.

## 47.

Inter ipsa medicamenta roborantia primum locum obtinent martialia, et praesertim fontes medicati martiales, quorum usus peregrinatione junctus eaque victus ratione, quae vires reficere potest, commendandus praeprimis est in iis morbis, qui cum laxitate viscerum abdominalium junguntur, cum stomachum confirment, calefaciant corpus, ruborem augent et excretiones blandas

pro-

promoveant. Ipsae partes martiales minima quidem copia in his fontibus continentur, ut in Brück enaviensi duo tantum grana in libra unica adsint, in aliis minor adhuc copia: sed victus ratio et peregrinatio ipsa plurimum conferunt ad sanitatem restituendam. Fons Brück enaviensis ceteris fere palmam praeripit: deinde Pyrmontanus, Spadanus, Driburgensis, Schwalbacensis, Lauchstädtensis etc. sequuntur.

## 48.

Denique ad amara ipsa confugiendum, quae haudquam adstringunt aut mutant dotes fibram mechanicas, non irritant proprie, sed agunt principii ope amari, quod forsan ex aliis principiis compositum esse videtur. Namque videmus varios sales amaros ex salinis principiis conflari: fixum autem est hoc principium, neque volatile, acido inimicum et ab acidis destruendum: hinc fellis compaginem ac mixtionem praecipue emendat et digestionem turbatam restituit. Quum laxitas corporis adest, sublata hac omnino pulsum augere et vires excitare possunt; cuius contrarium vero producunt, quoties irritabilitas nimia a debilitate producitur. Amara tunc pulsum minuant et regulares magis functiones producunt.

## 49.

Prosunt itaque in primis in vera debilitate, post morbos graviores aut evacuationes nimias obor-

oborta, in infaretibus et suppressione menstruorum, quae a laxitate originem dicit, unde emmenagoga vocari possunt: in digestione labefactata, ubi acorem corrigunt, fatus protrudunt et colluvies pituitosas reprimunt. Hinc in hydropis et icteri variis speciebus egregium saepius usum praestant. Profundunt in arthriticis affectibus, qui cum atonia viscerum abdominalium et colluvie pituitosa junguntur. Profundunt denique in verminoso statu, ad tollendam laxitatem et pituitosam colluviem, quae praesertim vermisbus nidum praebent.

Abstinendum tamen ab amarorum usu in foribus primarum viarum, quae ex caussis manifesto externis ortae sunt, in febri statu et irritatione systematis sanguiferi, in congestionibus alias generis vehementioribus, in sicca et calida corporis constitutione, quam augere solent; et dum obstructions adsunt.

Amara ipsa sunt vel pura vel simul adstringente vel aromatico vi gaudent. Inter pura militant Quassia excelsa, cuius lignum; Quassia Simaruba, cuius cortex in infusis exhibetur. Deinde rad. gentianae luteae: meny-  
anthes trifoliata; gentiana centaureum: Cen-  
taurea benedicta: Fumaria officinalis: Ar-  
temisia Absinthium et Matricaria Chamomil-

la... Quae simul adstringunt, sunt cortex Cinchonae officinalis; cortex Aesculi Hippocastani; Salicis pentandrae, albae et fragilis: radix Rubiae tinctorum. Aromatica demum sunt radix Gei urbani: cortex Angusturae: cortex aurantiorum: fel tauri: herba Achillaeæ Millefolii: cortex Winteranus etc.

Brevem hunc syllabum doctrinae de robore methodo, legibus adstrictus academicis, elaboravi, ut et meam qualemcumque adderem symbolam ad excolendam therapiam generalem, quae variis scientiae medicae vicissitudinibus, a novorum hominum genere ex Anglia commenta mutuantur, effectis, empiriae potius a ratione alienae traditur, aut futilibus depravatur hypothesibus, nulli prorsus experientiae nitentibus.

THE-

## T H E S E S.

1. Ossium, tendinum et nervorum reproduc-tio, nunc per experimenta et phaenomena confirmata; verosimilem reddit' opinionem: a vasis magis, quam a nervis, pende-re hanc naturae operationem; praefer-tim cum musculus, tot nervis ditatus, non re-producatur.
2. Idem loqui videtur miranda illa conservatio antibracchii et cruris post resectionem extremitatum ossium in articulis cubiti et genu si-bi respondentium; solis vasorum a ferro in-tactis relictis, nervis pene omni-bus, methodo Parckii destructis.
3. Nolle hinc: chirurgum de nervis parcen-dis adeo sollicitum esse; modo vasa servet.
4. Certe etiam, absque nervis, vasa actiones, quibus destinantur, exserunt.
5. Ab animi pathematum effectu in corpus hu-manum plus timendum, quam sperandum est.
6. Hydroceles operatio per incisionem, eamque exiguum, missis irritantibus, reliquis eam sa-nandis methodis, anteferenda est.
7. In sananda conceptione et graviditate extra-uterina, magis naturae, quam arti fidendum.
8. Star-

8. Starkii forceps obstetricius reliquis et antiquis,  
et recentioribus facile palmam praeripit, quae-  
cunque contra fuerint dicta, facile refutanda.
  9. Multum abest, ut Sectio Symphyseos ossium  
pubis, in integrum rejici possit.
  10. Effectus Gravidae imaginationis exaltatae in  
foetum, nequaquam in totum negari potest.
  11. Solutio placentae ante partum non semper  
horrendas secum vehit haemorrhagias; non-  
nunquam moram in partu absolvendo con-  
cedit.
  12. Semper ligatura funiculi umbilicalis, partu  
perfecto, aequa bene in parte ejus cum foetu  
cohaerente, ac in ea, quae placentae continua  
est, instituatur.
-



02 H 510


V  
D  
A8

**ULB Halle**  
003 094 74X

3







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
METHODI ROBORANTIS  
USU ET ABUSU,

QUAM  
CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

V I R O

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
HILIPPO FRIDERICO  
MECKEL,

EDIC. DOCT., REG. BORUSS. A CONSIL.  
SANCTOR., ANAT. ET CHIRURG. PROF.  
PUEL. ORD., ETC.

U T

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIMO MODO CAPESSAT

DIE III. OCTOBR. CLOIC CCXCVI.

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

IO. FRID. JÜNGKEN,  
MAGDEBURGICUS.

HALAE,  
T Y P I S B A T H E A N I S.